

quod in eum commiserant, Genes. XLV. Vocat et nos ad se Christus, et quidem humanissime, ut dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. XI. Nisi igitur hoc verbo, ubi peccata nostra expiavimus, confidenter accedamus, interim tamen semper memores debilitatis et inhabilitatis nostrae, dicentes ex una parte cum centurione: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, ex altera cum Zaechao suscipientes eum magno gaudio. Thronum Salomonis sustinebant duae manus hinc et inde tenentes sedile, et duo leones stabant iuxta manus singulas, III. Reg. X. Talis est thronus Christi, manus porrigit amicis, ut confidenter accedant; leones vero ostendit ut interim considerantes nostram parvitatem cum timore accedamus.

III. Accedamus velut caeci cum fide. Primo, claudendo oculos sensuum et nostrarum rationum circa hoc mysterium. Ut enim caecus non a torum oculorum, quos caecatos habet, sed alienorum, etiam pueri unius vel catelli, ductu incedit, atque ita secure pergit: sic oportet nos in hac re nequaquam ducesensibus nostris aut humanis ratiunculis, sed verbo Christi ac fidei. Hoc praedictum Isa. XI. *Vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus* (hoc est, humilis predicator vel apostolus) *minabit eos*. Sic puer unus regebat gressus exoculati Samsonis, et duxit eum ad epulum Philistaeorum eucharisticum, hoc est, ad convivium, in gratiarum actionem, ob Samsonem captum institutum, Judic. VI. ubi ipse recuperavit vires pristinas, et longe majorem victoriam de hostibus suis obtinuit caecus, quam unquam prius obtinuerit videns; denique, illis occumbens, salutem populo suo temporalem, et sibi aeternam acquisivit; templum vero Dagonis evertit. Ita plus meremur si fide, quam si oculis aut scientia ducti pergamus ad eucharistiam: recuperamus enim vires gratiae novae, et debellamus vitia nobis adhaerentia, ipsosque caecodemonas, aeternam quoque salutem nobis paramus. Hac de causa Ecclesia ante sacram communionem cantat: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, ut prius quasi oculos velemus, et Dei omnipotentis verbo ac ductu nos committamus. Quomodo enim errare possumus, si Deum dicentem ac ducentem sequimur? Et, quod fieri nequit, si in errorem duceamur, dicere Deo liceret: *Domine tu sic duxisti nos. Quid inde nobis timendum foret? Verissimum ergo, et hic est, quod ait Dominus, Matth. V. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te*. Melius est nobis caecos intrare in regnum caelorum, quam cum duobus oculis proprii sensus et voluntatis mitti in gehennam: *Notus est mihi quidam*, inquit Artimodorus, lib.

I. onirocritiae, cap. XXVIII. *qui visus est sibi tres oculos habere, et caecus factus est*. Sic contingit illis, qui divina supra vires suas scrutari et censeri volunt, et plus se quam alios videre sibi videntur; quemadmodum haeretici, qui propterea in plurimos errores ipsamque caecitatem incurrerunt, quia plus se videre, quam ss. patres et Concilia putabant.

Secundo, claudendo sensus omnes versus res creatas et cogitationes terrenas: solum mentis oculos in Deum attollendo, et Christum hospitem nostrum cogitando: quo modo Daniel in captivitate Babylica omnes alias fenestras oraturus clausit; eam tantum, quae Jerosolymam ejusque templum spectabat, aperuit; ut nihil interim de impia Babylone videret ac cogitaret, Dan. VI. Sic et nos ad Christum accessuros decet ipsum solum praee oculis et in mente habere.

IV. Accedamus velut claudi cum humilitate et reverentia. Nemo nescit claudos hoc ipso, quia crura erecta non habent, humiliore gressu incedere, imo ad perfectam hominis staturam raro pervenire; et hinc non immerito humiliores etiam animo sunt. Rursum claudi dici possunt, qui curvato corpore sunt: ergo qui caput, corpus et genua ob reverentiam alterius flectunt, claudi dici poterunt, sicque claudi seu curvi ad Christum accedemus, quando cum modestia, humilitate et debita reverentia accesserimus, juxta praedictionem Isaiae, cap. LX. *Venient ad te* (o Christe) *curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum*. Utrumque dicimus a filio Jonathae Miphibosetho claudos (quoniam infans ex ulnis nutriceis ceciderat) qui vocatus a Davide jam constituto rege: *Corruit in faciem suam et adoravit*. Audiens deinde a Davide: *Tu comedes panem in mensa mea semper*, respondit: *Quis ego sum servus tuus quia respexisti super canem mortuum, similem me?*

II. Regum IX. Fuit sane Miphiboseth filius Jonathae et nepos regis Saul; et in quomodo se humiliat coram Davide: *Canem mortuum se appellat*. Et cur? Quia claudus adeoque Davidi in aula inutilis suo iudicio erat. Canis claudus, canis quasi mortuus est, quid enim domino prodest? Nec leporem capere, nec lupum pellere, nec anatem ex aquis afferre, nec domum domino custodire potest. Gratis igitur panem heri sui comedit. Idem de se sentiebat Miphiboseth, ut qui servire regi non posset, seu in militia, seu in venatione, seu in saltibus aliisque exercitiis aulicis; gratis igitur panem ejus comederet. Multo majore jure nos hoc Christo Domino nostro dicimus, cum ad ipsius mensam invitati accedimus. Quid enim ipsi prodesse vel dare possumus, qui ab ipso omnia habemus? Et tamen ille ad mensam invitat nos. ad mensam.

inquam, in qua nec angeli ex se digni sunt sedere. Nonne igitur jure merito ante ipsum corruimus, et canes mortuos nos agnoscimus? Refert Sozomenus, in historia sua arborem idololatricam a demone insessam, prope Heliopolim, (ubi Dominus noster infans in Aegyptum fugiens divertit) incurvasse se ad terram, venienti Dei Filio honorem exhibendo. Ecce demones et arbores incurrant se coram Christo, et hoc Christianus aegre faciet? Scimus certe ex evangelio demones Christo in obsessis occurrentes ad terram se prostravisse, ipsumque adorasse. Quid igitur nos Christiani? Quomodo non arguemur, si Dominum Deum nostrum nobis occurrentem non aequae, non magis veneremur?

Isti ergo sunt gratissimi Christi hospites, magna caenae magni convivae. Abeant igitur et valeant, qui ad villas, boves et uxores eunt: abeant divites, qui terrena tantum sapiunt, caelestia fastidiunt; veniant pauperes: abeant robusti luctatores, peccato armati; veniant debiles: abeant oculati, qui sensibus ducuntur; veniant caeci: abeant erecti et superbi; veniant humiles et venerabundi; comedant et bibant e mensa Domini hic in sacra eucharistia, ibi in caelesti gloria.

CONCIO III.

CAUSA PROCESSIONIS CUM SACRA EUCHARISTIA.

V. Tripart. in f. Trinit. conc. VII.

I. Ut nos gratos tanto beneficio exhibeamus. — II. Ut hac solemnitate compensemus quod in ejus cultu per annum negligimus. — III. Ut hac nostra devotione compensemus quas ab aliis sustinet injurias et despectus. — IV. Ut haereticorum perfidiam redarguamus. — V. Ut divinae voluntati et Ecclesiae Rom. nos obediens monstremus.

THEMA.

Homo quidam fecit cenam magnam et vocavit multos. Luc. XIV.

Contingit Christo Domino idipsum fere hodie, quod ei contigit cum in asello triumphum agens, a populo et discipulis magno cum applausu inductus fuit Jerosolymam. Alii enim admirati sunt dicentes: *Quis est hic? Matth. XXI. alii audientes ipsi caeci: Benedictus rex qui venit in nomine Domini*, dicebant: *Magister increpa discipulos tuos*, Luc. XIX. alii cum audirent pueros in templo clamantes: *Hosanna filio David*, dicebant indignati Christo: *Audis quid isti dicunt? Matth. XXI. ducemus et nos hodie ac per urbem circumducemus eundem illum Salvatorem nostrum solemnem cum pompa et júbilo, quamvis humili asello, sub specie panis incedentem: quod imprae mirabantur aliqui et interroga-*

bunt, quid sibi velit, quod in urbis plateas Christum Dominum nostrum efferamus. Alii forte offendentur solemnitate pompae et júbilo, cupientque tacere cantum, tubas, tympana, bombardas, velut sumptus non necessarios: denique, alii forte, acatholici pejus adhuc cogitant, non nescio quid idololatricum committere. Sed respondendum his cum Christo: *Dico vobis, si hi tacuerint lapides clamabunt*. Tanta sunt testimonia praesentiae Christi in hoc sacramento: tanta miracula eandem comprobantia, ut si nos taceamus, lapides clamaturi sint. Quare ut horum seu curiositati seu ruditati occurramus, afferemus ejus causas, quae Ecclesiam permoverunt ad hanc instituendam decentissimam solemnitatem.

I. Instituta igitur est primo, ut nos gratos et memores tanti beneficii ac doni, quo ipsum donatorem pro dono accepimus, erga Deum demonstremus. Est enim gratitudinis officium, non solum agnoscere beneficium seu donum, sed id etiam deprædicare et publicare, juxta id Psal. LXV. *Venite, audite et narrabo omnibus, qui timetis Deum, quanta fecit anima mea*. Sic videmus passim viros nobiles in collo gerere et ostentare aurea numismata, insignita effigie imperatoris vel principis, a quo ea amoris gratia dono acceperunt. Hebraei sane arcam foederis, in qua urna aurea continens manna, et virga Aaronis, et tabulae legis erant repositae (Exod. XVI. et ad Hebr. IX.) circumferrebant secum humeris levitarum et sacerdotum, per desertum toto peregrinationis tempore, maximo cum honore, in terram usque sanctam, demumque ingenti cum triumpho intulerunt in domum David, et postremum in templum Salomonis. Circumgestant et jam in hodiernum usque circum synagogas suas id quod putant se habere praestantissimum, *thalmud* scilicet seu volumen legis, accuratissime descriptum manu pelleque immundissima. [Quidni potiori jure nos eum, qui est panis vivus, de caelo descendens qui est ipse summus omnium sacerdos, ipseque legislator et dator legis, circumferemus in publico, et toti mundo monstremus beneficia Dei nostri, nulli alii genti unquam concessa? Adeo hoc naturali rationi consentaneum est, ut ipsi etiam gentiles ductu luminis naturalis ad hoc nobis praerint. Persae enim quia igni plurimum se debere existimabant a quo omnia vegetari cernebant, regi suo iter agenti ignem praeferebant, teste Herodiano: Romani, quia anserum clangore e somno excitati fuerunt ad depellendos a Capitolio hostes Gallos, quotannis certo die anserem splendide admodum in lectica et veste stragula solemnem pompa circumduxerunt, ut habeat antiquitatem Romanorum lib.

IV. cap. XI. At nos quanto majora beneficia a Servatore nostro accepimus? Nonne ipse nos æterni prædicatione a vitiorum somno excitavit? Nonne sua morte a morte nos suscitavit? Audi ipsum sponsi nomine loquentem sponsæ, Canticorum VIII. *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua: ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Sub arbore mater nostra Eva occidit nos: sub arbore crucis Christus suscitavit nos, summis in doloribus mortem in crucem subiens. Quid igitur pro tanto beneficio postulat a nobis: *Pone me signaculum super cor et brachium tuum.* Signaculum seu sigillum imaginem principis continet, unde aureæ monetæ imprimitur et sic ad memoriam principis in collo gestatur. Christus non imaginem, sed seipsum imprimit sacræ hostiæ, mediante verbo sacerdotis in altari. Ergo ad ejus memoriam ponamus eum supra cor: nec solum supra cor, ut in mente nostra habeamus, ut beneficium agnoscamus, sed in super supra brachium, ut eum brachiis nostris publice circumferamus: et monstremus omnibus benefactorem nostrum. Si enim gentes atque eorum, quos diligunt, notas, ad perpetuam ipsorum habendam memoriam, cauterio sibi imprimi curant, vel in brachio, vel in sinistra (ubi cor hominis est) parte pectoris (quod Mauris et Saracenis feminis frequens esse asserit Ghislerius, in capite VIII. Canticorum, versu VI.) quidni decet, ut nos quoque amatorem nostrum summum, qui sanguine suo nos emit, sua morte vivificavit, cordi nostro inculpamus et brachio, hoc est, internis externisque viribus animi et corporis veneremur quantum possumus?

II. Ut hac solemnitate compensem, quod a nobis, per decursum anni in hujus sacramenti cultu et veneratione neglectum est. Quemadmodum enim: « In festis sanctorum, quia circa solemnitatis debitum aliquid per negligentiam aut rei familiaris occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater Ecclesia certum diem, in quo generaliter omnium sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebritate communi quidquid in propriis ipsorum festivitibus omissum existeret, solveretur: ita quod in aliis missarum officiis circa solemnitatem est forsitan prætermisum, devota diligentia suppleatur, et fideles (festivitate ipsa instante) intra se præterita murmurantes, id quod in ipsis missarum solemnibus, sæcularibus forsitan agendis impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente in humilissime spiritus, et animi puritate restaurent. » in-

quit Urbanus papa IV. in decreto instit. hujus festi; quod habetur in Clement. lib. III. tit. XVI. de religion. et veneratione sanctorum. Fateri debemus parum nimis venerationis deferri a plerisque huic sacramento, dum in templo elevatur et monstratur, dum ibi visitatur, dum a ægrotos defertur. Inde enim scandalizantur quandoque Judæi, Turcæ et hæretici, imprudenter quidem; quia non ideo fides mala, quia mala a quibusdam observatur; neque etiam possibile nobis est semper excubare ad obsequia Domini nostri, cum alia etiam agenda sint et apostoli ipsi non semper, sed suo tempore tantum Christum adorarint: et quod prius neglexerant, compensarint post ejus resurrectionem et ascensionem. Itaque conatur hoc annuo saltem cultu resarcire id, quod in veneratione Domini nostri per annum negleximus.

III. Ut compensem nostra devotione injurias, quas sustinet a perfidis Judæis, Turcis, hæreticis, necnon a malis quibusdam catholicis, qui sacrilege eum suscipiunt. De Judæis certum est, quod Christum in suis synagogis, quotidie blasphemant, et passim monumenta supersunt, quæ docent eos Christum quasi de novo crucifixisse in sacra hostia. ut Passavii, Denkendorfli, Sternebachii, in Marchia Brandenburg. villa Cuobloch, in Sachazero Poloniae oppido, apud Bozium, t. II. fol. LXXVII. de signis Ecclesie.

Turcæ, anno 1433. capta Jerosolyma, crucifixi imaginem tympanis præeuntibus per fora et plateas ex urbe in castra rapuerunt, sputo, luto, jaculis impetentes, pileo ei imposito, clamantes: *En Christianorum Deum crucifixum,* Cuspinian. Quid de hæreticis, Calvinistis et Lutheranis dicam, quorum illi iniquissime Christum in eucharistia tractant, hi nullo modo venerantur?

Nec minor illa injuria, quæ ipsi infertur a catholicis interdum, cum sacrilege suscipitur. Quare ne Christus Dominus his injuriis offensus iram in universam terram justissimam concipiat, nonne æquum est, ut nos eum altera ex parte nostro obsequio demulceamus ac detineamus ab inferendis penis? Sic enim cum Christus in cruce a Judæis subsannaretur ac reprobaretur, Deus Pater celebrare eum celestibus prodigiis cepit, latro et centurio confitentur, Joseph et Nicodemus honorifice eum sepeliunt in sindone munda, sepulcro unguentis perfuso.

IV. Ut confundamus hæreticorum perfidiam et insaniam, vel potius convertamus splendore hujus solemnitatis. Dum enim vident nostram in hac fide constantiam, fervorem et unanimi- tatem. ipsi interim erubescere debent. quod ab

hac religione defecerint, et Deum suum demonstrare nequeant, quia sacerdotes non habent. Quemadmodum etiam ad præsentiam Christi crucifixi latro bonus erectus fuit ad penitentiam, alter commotus ad blasphemiam: ita fideles ad præsentiam Christi roborantur et gaudent, infideles rumpuntur et dolent: sic ad præsentiam arcæ Hebræi animati et exhilarati, Philisthæi contra territi sunt: ita solis lux oculos sanos recreat, lippientes offendit. Ad hæc licet ipsi Christi præsentiam, dum in eucharistia circumferitur, non credant, nihilominus tamen horrore aliquo concutiuntur, dum eam intuentur, vel præsentem audiunt; nec prope accedere audent. Mirum quid de seipso Lutherus refert in colloquio mensali. apud. aurifab. cap. VII. et XIII. se nimirum: dum Islebiæ adhuc juvenis indutus veste sacerdotali comitaretur venerabile in festo corporis Christi ante sacramentum, quod ferebat dominus Staupirius, adeo perterritum fuisse, ut sudorem emitteret et cogitaret sibi pereundum esse præ anxietate. Quare post processionem se id confessum domino Staupirio, qui dixerit: *O vestræ cogitationes non sunt Christus:* sicque cum solatio recessisse. Cruciabatur nimirum Christi præsentia Lutheri malus genius qui ejus humero insidebat in comitiis August. anno 1518. uti vidit et recensuit Baroni de Erpach. imper. Maximilianus. Genius qui in eodem Luthero, dum caneretur evangelium in templo: *Et erat Jesus efficiens dæmonium,* corruens terribiliter clamavit: *Ha! Non sum ego, non sum ego,* ut scribunt Cochleus, Lindanus, Surius, Florimundus, lib. 1. cap. V. genius qui postea nocturna disputatione ipsum impulit, ut missam aboleret, et multa amenter de hoc sacramento doceret. Fœderis arca, ob mira quæ effecit, terruit gentes, quacumque iret: sic eucharistia pepulit Saracenorum exercitum in Valentie regno, Turcas ex Assisio, demersit Albigenes in aquis ambulantes, dejecit Guilielmum in manu S. Bernardi, ejecit dæmones in ejusdem manu, convicit Bonovillum hæreticum in S. Antonio de Padua, Judæos sæpe punit.

V. Ut divinæ voluntati, et Ecclesie Romanæ obediens nos monstremus, Dei voluntatem fuisse institutionem festi hujus patet ex libello Diestemi, edito anno 1603. ubi refertur Julianam Leodiensem virginem in leprosorio, quod mons Cornelii appellabatur sanctitate conspicuam ob multas extases, varias prædictiones, cogitationum alienarum cognitiones habitam, crebro in oratione vidisse quasi lunam plenam, una tantum seissura laceram, ob oculos versantem; tandemque didicisse, per eam designari Ecclesiam, quæ unam adhuc solemnitatem

desiderat corporis Christi, moneret proinde eorum, ut illa institueretur. Cæterum virgo ad hoc se idoneam asserens diu multoque renuit, orans Deum, ut alteri hoc negotium commendare vellet. At Deus ipsam et deinceps per personas humiles hanc solemnitatem instituire et promovere se velle respondit. Quare tandem victa indicat Joanni de Lansenna canonico Leodiensi ad S. Martinum, viro pio et docto. Hic idem insinuat Jacobo de Threcis archidiacono Ecclesie Leod. qui ob virtutum et doctrinæ merita, post episcopus Verdun. tum patriarcha Jerosolymitanus, denique pontifex Urbanus IV. dictus, est creatus. Is ergo cum duobus patribus prædicatoribus rem contulit viris doctis, qui responderunt, id S. Scripturæ non modo non contrarium, verum potius conforme esse. Interea dum res suspensa et Jacobus ille ad pontificatum evectus esset, morareturque ad urbem veterem, seu *Orvieto*, non procul Bolsenam civitatem contigit, ut cum sacerdos quidam celebrans de veritate præsentie Christi dubitaret, s. hostia ab eo supra calicem elevata sanguinem stillaret in calicem ipsamque sacram mappulam, cumque is plica facta delere eum vellet, plurimis maculis corporale seu mappulam cruentaret. Quæ res populo ostensa ad ipsum quoque vicinum Pp. allata, effricavit pontifici in memoriam pristinam revelationem Julianæ ante annos triginta quinque circiter factam, decrevitque cum cardinalibus, ut festum hoc institueretur, et solemniter celebraretur: vocavit insuper S. Thomam Aquinatem, qui officium pro eo componeret, uti factum. Ita referunt partim Diestemius, partim S. Antonius, III. parte, tit. XIX. c. 1. Onophrius et alii. Ubi hoc inter alia observandum voluisse Deum per humiles personas, qualis erat puella illa, necnon et ipse Urbanus IV. qui ex obscuro, paupere, tenuique lare, patre cerdone in Gallia, provincia Campania natus, ad pontificatum evectus est, festum hoc promovere, ut ostenderet, quod: *Non in multitudine est virtus tua, Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium et mansuetorum semper placuit tibi deprecatio,* ait Judith, cap. IX. Quare etiam David ante arcam saltans: *Ero humilis in oculis meis,* ait, *magis quam fui:* similiter IX. Prov. dicitur: *Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite et comedite panem meum:* et Dominus: *Sinite parvulos venire ad me.* Cum his et discipulis exclamemus: *Benedictus qui venit Rex nomine Domini: Hosanna filio David.*

CONCIO IV.

AD PROCESSIONEM CORPORIS CHRISTI VOCANTUR CÆCI,
CLAUDI, DEBILES, PAUPERES.

I. Cæci, h. e. acatholici, qui præsentem in eucharistia Christum non vident. — II. Claudii, h. e. qui ad hodiernam solemnitatem non veniunt, ut Christo honorem deferant. — III. Debiles, h. e. qui nulla fere devotione et reverentia processioni intersunt. — IV. Pauperes, h. e. quicumque oppressi secundum animam.

THEMA.

Eæci cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc.

Luc. XIV.

Parabola hodierna de cœna magna ad litteram quidem intelligenda est de celesti gloria: recte tamen ab Ecclesia accommodatur sancte eucharistiæ, dum intra octavam corporis Christi legitur; siquidem ea in ultima Christi cœna instituta est; et sicut cœna sub initium fere noctis, adeoque in obscuro fit: ita eucharistiæ in crepusculo quasi et obscuritate fidei sumitur. Quæ quidem magna etiam jure merito vocatur, quia a magno rege pro magno populo, magno pretio et fructu apparatus est. Hæc per istam octavam passim nobis proponitur. Servi porro, qui ad eam vocant, a Deo missi, prædicatores sunt. Cum ergo hoc sit concionatorum munus, faciam quod jubeor, et vocabo ad hanc cœnam cæcos, claudos, debiles, et pauperes; quia tales etiam adducti fuerunt ad cœnam illam magnam.

I. Quinam vero cæci? Nonne acatholici, qui post clarissima Christi et S. Pauli testimonia, post consensum omnium patrum, post tot tantaque miracula in ipsa evangelii meridie, nondum videre volunt Christi in eucharistia præsentiam? Nam primo, quid esse clarius potest, quam ea Christi verba: *Caro mea vere est cibus, etc. Et comedite. Hoc est corpus meum?* Et illa Pauli, 1. Corinth. X. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Et capite XI. *Quicumque manducaverit panem hunc indigne, reus erit corporis Domini?* Ac licet sensus noster aliter judicet, nonne magis Deo credendum, quam sensui nostro fallaci et infirmo? Et nonne magis glorificatur Deus, quando ejus omnipotentia nihil non possibile credimus, quam si ei limites ponamus? Ecce enim iratus fuit Moysi et Aaroni, eosque in deserto morte punivit, nisi quia ejus omnipotentia vel certe bonitati in aliquo diffisi sunt? Num. XX. Jussi erant loqui ad petram, ut daret eis aquas: *Loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas*, v. g. dicendo: *Petra in nomine Domini Dei nostri da nobis aquas, sed illi cogitant: Quid loquamur petra? Quid responsi-*

nobis dabit? Et quomodo aquas populo rebeli? Unde non petrae, ut jussi erant, sed populo loquuntur ac dubitanter quidem: Num de petra ac vobis aquam poterimus elicere? Ergo Dominus: Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Ecce qui credunt Deo difficillima quæque, hi sanctificent Deum, qui non credunt, inhonorant. Data ergo per impossibile, quod in hac re erraremus, fideus dico, non posset nos punire propter hoc Deus, quia ipsi asserenti rem difficillissimam credimus, adeoque eum maxime sanctificamus, dum ejus omnipotentia omnia subjicimus.

Deinde, nonne Ecclesia per octocentos annos universa semper id credidit? Nonne postea contra Scotum, Berengarium, Wiclefum, primos ejus hostes semper triumphavit? Denique, quot passim miraculis per orbem totum veritas hæc comprobata est? Unum hic audiamus. Anno 1563. cum Erfordia r. dominus Theodoricus Baumeier sigillifer in festo corporis Christi circumgestaret venerabile, nobilis quidam Lutheranus id deridens ait: *Ecce qualem cuculum hic senex portat.* Eo dicto subito cecidit in terram et fit epilepticus. Tum gestatur in ambitu in sacellum, vocatur medicus d. Joannes Hebenstreit, qui mox pronuntiat casum esse desperatum. Sic post paucos dies in magna patientia moritur. Refert. Guil. e gent. in libello de eucharistia. Quibus positus si adest ibi Christus, cur eum non adoremus? Quod si ante usum non adest, quomodo verum est, quod dixit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, siquidem ante usum hæc dixit.

II. Quinam claudi? Utique illi, qui oculos quidem fidei habent, pede vero operis boni carent. Claudii, inquam, qui cum Deum suum inter nos esse, et cum pompa triumphali prodire credunt, ad ipsum tamen, ut ei suum homagium præsentent, non accedunt, nec comitantur. Duo pedes homini christiano necessari sunt, fides et charitas. Nam: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, 1. Cor. XIII. Reperio in ss. litteris sæpius conjunctos Petrum et Joannem, uti Joan. XX. simul currentes ad sepulcrum: rursus, Joan. XXI. simul piscantes: rursus, Act. III. simul euntes ad templum et claudum erigentem: rursus, Act. IV. simul respondentes et opposites se magistratui: denique, Act. VIII. simul missos in Samariam auper conversam. Quod sane magnam inter eos amicitiam intervenisse indicat, ut notat Sanctus Chrysostomus. Nec sine mysterio, quia Petrus Ecclesie petra Christum Dei Filium præ cæteris confidens fidem: Joannes vero dilectus Christi

discipulus, qui solus præ cæteris cruci ejus adstare non timuit, charitatem significat. Hi ergo duo simul currere ad visendum Christum in triumpho suo debent, hi simul erigere claudum, qui fide quidem calet, sed amore Dei friget. Multi haud dubie cuperent adesse hodiernæ processioni, et deferre Christo suum obsequium; sed timent sibi propter alios; ne singulares, parum cordati, hypocritæ, devotuli, religiosi dicerentur. Hi Joannem non adferunt, qui non habito respectu aliorum condiscipulorum, inter tot opprobria et pericula solus adesse crucifixo Domino suo nequaquam timuit: *Perfecta enim charitas foras mittit timorem*, ait idem Joannes, epist. 1. cap. IV. Sane judicii die omnes ad Christum convolabant, velut aquilæ ad cadaver, et ab eo satiari cupient; quod indicat Christus, Mathæi XXIV. de illo tempore loquens: *Ubi cumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ*, omnes nimirum homines, ut volunt Abulensis et Maldonatus cum Barradio: sed non omnes ibi invenient pabulum. Quicumque igitur illic saturari a Christo volunt; hic illum requirant. Hic ejus sacrum corpus, velut occisum nostri causa pro pabulo nobis proponitur; huc ergo advolemus, si ibi bonis omnibus satiari desideramus. Notabile est, quod in vita Sanctæ Cunegundis legitur, apud Sur. 3. martii, quæ ex imperatrice monialis facta, cum adverteret neptem suam Juttam, sororis filiam, non sequi crucem in processione cum aliis monialibus, sed ad mensam hæere, ut epulis vacaret, inflixit ei alapam, ita ut impressa digitorum vestigia maxillæ ejus perpetuo adhererent, nec ulla ratione deleri possent. Fuit ei hoc quasi sigillum impressum acerrimus deinceps stimulus ad virtutem, necnon aliis quoque ad meliorem frugem. Quid igitur putatis, debetur iis, qui eo tempore pigritiæ, gulæ, aliisque vanitatibus serviunt, quo Dominus illo prodit in processione publica? Timendum est, ne talem aliquando, eamque indelebilem alapam infligat Christus claudis illis, qualem in hodierna parabola inflixit cœnæ suæ contemptoribus: *Dico vobis, quia nemo virorum illorum gustabit eamam meam.* Dicere enim poterit: *Nescio vos, non novi vos*: quia in conspectu meo non apparuistis, et cum inter vos essem, non me visitastis.

III. Quinam debiles? Utique illi, qui credunt quidem, et accedunt ad processionem, verum exigua aut mala cum devotione et veneratione Domini sui, genua non flectunt, saltem utraque, pectus non tudent, manus non erigunt, caput ægre aperiunt, ad terminum præfixum non comitantur, mentem non attollunt ad considerationem rerum, quæ aguntur, sed humi plane

repunt. Similes Judæis illis, qui Christum Deum crediderunt, publice tamen confiteri non sunt ausi, quia: *Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*, ut ait Joannes, c. XII. Qui utinam cogitarent quidnam egerit David coram arca, cum ea introduceretur in Jerusalem. Non erubuit expoliare se regis vestibus, et vilibus indusiolis more levitarum induere, coram arca saltare, ludere, canere. Ac licet ab uxore propter hoc rideretur et argueretur, non ideo ab incepto destitit, sed alacrius perrexit: *Et ludam, et vilior sum plusquam factus sum, et ero humilia in oculis meis*, ait II. Regum VI. Magna nimirum in veneratione erat arca apud Judæos, eorumque gloria appellabatur; uti patet ex 1. Regum IV. vers XXI. *Translata est gloria Israël* (hoc est) arca. Asservabat enim manna, eratque signum fœderis inter Deum et ipsos erecti: super ipsa Deus dabat responsa, etc.

At quanto nobilior eucharistia ipso manna? Quanto nobilior Dei cum Christianis fœdus? Sed quid dico de Davide? Cogitent quid sustinuerit Christus nostri causa: quantas confusiones coram iudicibus et populo, præsertim eum educeretur inter latrones ad Calvaria montem; qui postquam exinanivit semetipsum, formam servi accipiens: *Confusione contempta sustinuit crucem*, ad Hebr. XII. passus est se nudari, velari, cædi, subsannari, latronibus æquari, in eorum medio crucifigi. Deus ergo propter servos confusionem pati vult; et non vult servus pro suo Domino? Deinde, nonne in hac ipsa sacra eucharistia se iterum expoliat gloria sua, et in exigua panis specie se occultans nobiscum ambulat summa demissione? Adsunt quidem aliqui huic solemnitati ac processioni, verum instar infantium, qui nesciunt quid agatur, licet ipsi etiam præsentem, albis vestiti, rosis coronati, cymbala concerpent: *Fratres nolite pueri effecti sensibus*, ait Paulus, 1. Corinth. XIV. Itaque interesse nos oportet huic solemnitati velut viros, expendendo beneficia Salvatoris nostri, qui se nostri amore exinanivit, et de cœlo ad nos descendit, viam cœli nos docuit ac prævit sanguine suo pretioso et morte redemit, ita ut gravissima quæque peccata nostra, quæ alioquin ab hominibus ipsis plectuntur gravissimis suppliciis, solis lacrymis et gemitibus, una confessione delere possimus, quandoquidem reliquum ipse pro nobis solvit, insuper gloriam immortalitatis nobis comparavit, nosque reges cœli et cohæredes suos effecit. Quæ omnia indicamus, dum rosis coronati incedimus, dum omnis generis musica instrumenta, bombardarum item explosiones velut militarem musicam adhibemus, dum varia vexilla quasi victoriæ trophæa erecta gestamus. Cogitare vero impri-